



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tripartita Demonstratio, Worin Augenscheinlich wird  
vorgestellt/ Daß Die Stadt Hildesheim von Jhrem Anfang  
biß hiehin den Herren Bischöffen Als jhren  
Landts-Fürsten/ Gleich anderen Municipal-Städten ...**

**Hildesheim, A[nn]o 1691.**

Num. 106. Extractus ex Annal. Archivial. sub eod. Episcopo Valentino ad  
An. 1543. pag. 1047.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38409**

Civium, nec eorum uxores, liberi, servi, ancillæ, imò nec Clericorum domestici Cathedrale templum ingrediantur, quando in eo cultus Divinus, aut Missæ Sacrificium peragitur, si quis Civis aut Civium Domesticus secus facit, pendet Senatui viginti florenos, si de Cleri familiâ sit, ex urbe quamprimum expelletur. Imò minaciter jactarunt se Cathedrale quoque templum oclusuros, atque ita totâ urbe abolituros omne Catholica religionis exercitium: Carthusiam quoque & Sultam suburbanam solo æquatueros.

Et paulò post

Sub Adventus initium spoliarunt tumulum S. Bernwardi auferentes ad trecentas ceræ libras, nocturno quoque tempore, carro avexerunt candela, coronas, aliæque ornamenta ex stanno, cupro, & electro facta. 19. Decembris mandavit Cæsar Senatui, & populo Hildesimensi sub prescriptionis pœnâ, ut intra octodecim dies Prædicantes ex urbe dimittant: Venerabile Sacramentum ibi, unde ejectum, reponi sinant, templa & monasteria obserata recludant, nullum in cultu divino turbent, aut impediunt, ablata ex templis & Monasteriis fideliter restituant, Altaria, Baptisteria, Cruces, Imagines aliæque destructa reparent atque instaurent, ab omni vi, injuriâ ac molestiâ prorsus abstineant.

Num. 108.

*Extractus ex Annal. Archivial. sub eod. Episcopo Valentino ad An. 1543. pag. 1047.*

**E**ædem Civitates videbantur decertare inter se, quænam ferventior esset in Executione primi fœderis Articuli, hinc Lubecenses diruerunt templa S. Georgii & S. Gertrudis. Brunswicenses vastarunt collegiatis S. Cyriaci & S. Crucis. Goslarienses toto solo æquaverunt, ut vix superesset in quo fervorem ostenderent. Verùm Hildesenses omnibus palmam præripuerunt, intra paucos enim annos Monasteria suburbana Sultam & Carthusiam, Ecclesias S. Joannis, & S. Catharinæ ita subruerunt, ut vix vestigia reliquerint. lugenda strages tot ædificiorum tanto labore tantisque impensis eductorum, & Carthusia quidem vix ab incendio anni 1522. restituta erat.

Intra urbem ruinæ templorum quidem parvum, in profanos tamen usus sacrilegè conversa sunt, in templum S. Martini inducta, mola asinaria, digni certè molitores, qui suspensâ ex collo molâ demergantur, in profundum maris. S. Lamberti elegans templum conversum in Armentarium. S. Pauli profanis cœtibus & hæreticis Concionibus contaminatum. Quam impiè, sacrilegè tractarint, Hildesenses Imagines Christi, Sanctorum & eorum reliquias, quam scurriliter illuserint, Episcopis & Pontificibus, nemo verbis explicabit. Pauca in exemplum adducemus ex impresso D. Oldecop. Anno 1543. in feriam quintam post Dominicam Sexagesimæ incidit pervigilium Purificationis B. Virginis, quo die olim populus orthodoxus se præparabat ad Solemnitatem Dei Genitricis Patronæ sanctæ pieque urbis & patriæ per agendam, jam verò Magistratus Lutheranus præconis voce invitavit plebem ad Choream sub vesperum

in

in curiâ instituendam, confluit frequens, spretâque majorum pietate in multam noctem indulgit, voluptati & libidini.

Dominicâ Quinquagesimæ, cum omnes opifices unâ cum uxoribus, liberis & servis in suis cauponis indulgerent, poculis, impii factores ex cœmeterio S. Andreæ sustulerant magnam statuam Christi spinis coronati & crucem bajulantis, eamque illatam in suam tabernam tractarunt, contemptim, impiè, sacrilegè, alii propinarunt, admoto ori poculo urserunt æqualibus haustibus responderet, alius dixit fatigatum cruce, exhaustum fractumque flagellis bibere non posse, quare contemptim effuderunt potum in faciem statuæ.

Eandem statuam deinde circumtulere ad reliqua opificum symposia, ubi eandem sacrilega impietas inter, plausus & cachinnos repetita, soli mercatores abhorruerunt ab ejusmodi blasphemijs, & impios bajulos à suo contubernio excluderunt. Ut plebeculam oblectarent Bachinaliorum tempore, & Episcoporum auctoritatem omnium, ludibrijs exponerent, Mediastinum aliquem exornarunt Episcopali habitu, eumque virgis & flagellis exegerunt ex Civitate. Alii ex tenuibus ferri aut Cupri laminis curarunt vasculum ad formam Ciborii, quo Eucharistia ad ægros deferri consuevit, alii ex eadem materiâ fecerunt Reliquiarium referens lipsothecam Ludovici Pii, quæ in Cathedrali templo religiose asservatur, & occasio fuit ædificandi hanc Ecclesiam & urbem, inque obiverunt plateas, & intrantes domos impleverunt obvio potu, propinantes cerevisiam Beatæ Virginis, in sacrilegum contemptum Corporis Christi ejusque sanctissimæ Genitricis. Ipso die, Cinerum Nebulonem aliquem ornarunt habitu Pontificio, Caput radiabat triplici Coronâ, indutus erat albâ & pluviali, manus contactæ pretiosis chyrothecis, annulisque aureis, hunc impositum sandapilæ, per omnes urbis plateas, & Aream Campi Dominici, totâ die circumferebant, quatuor induci Albis, Casulis & mitris Episcoporum, Agmen ducebat lato tectus Galero præferens crucem, subsequerentur alii instucti thuribus, alii habitu Diaconorum & Subdiaconorum, inconditis clamoribus passim accersebant plebem, quam ridiculis gestibus & ludicris benedictionibus oblectabat personatus Pontifex, qui forte fuit Meino Schreiber de quo Lezner. lib. 5. cap. 13. quod simili modo ludicrum Papam egerit, alteraque manu gestarit medium viridem caseum (Texter Keese) qui referret lipsothecam Ludovici Pii.

Eodem die sub vesperum alii Ardeliones ex suo grege Juos indutos veste Clericali & unum habitu Monastico virgis expulerunt ex urbe.

Postridie, Cinerum, decem circiter instituerunt ludicram processionem, præferebatur Christi Crucifixi imago facta ex vestibus feno aut stramine fartis, tecta que panno lineo, subsequerentur alii habitu Clericorum, qui ex perticis suspenderant fractæ fornacis tessalas, quæ thuribulorum aut lampadam loco erant, alii induti habitu Carthusianorum, quorum duo loco librorum gestabant Alveolos luforios ( Brett-Spiel ) decantantur incondito vocis sono Kyrie eleison, Christe eleison; omniaque peregerunt tantâ injuriâ, contemptu & ignominia Christi Crucifixi, ejusque cultus, ut si Judæi aut Turcæ fuissent, nihil pejus excogitare, nedum facere potuissent.

Consul Christophorus ab Hagen, qui hætenus omnia spectarat suæque risu & plausu approbat, decrevit tandem pro suo in Catholicos odio colophonem spectaculis Blasphemis addere, ergo viros, fœminas, virgines